

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0606

0604

0610

0600

0615

0595

0655

0555

0705

0505

1105

0105

Ende

Anfang

33

orationem genufleximus et adorato Domino indulgentias recepi-
mus et spirituali disciplina instructi sumus, pensantes, quam
periculosum sit, nomen Christiani vel religionis habere sine
fructu, in quos utique maledictio divina desaevieret, qua
arescentes aeternis ignibus parentur cremandi. Inde progressi
ascendimus in Bethaniam, castellum Mariae, Marthae et Lazari,
per quod concitato gradu transivimus. De quo habetur fol.
213 A. Et de castello descendimus in desertum Monstat per
vias asperas et per clivos periculosos. Incepit autem fieri nox,
quia sol occubuerat, et optavimus in aliquo (**B**) loco manere
propter viae asperitatem usque ad ortum lunae, et cum pro-
fundius descendissemus, factae sunt tenebrae, et venimus ad
unam grandem domum testudinatam, per circuitum habentem
(in) internis ambitum sicut monasterium, et erat desolata et
vacua, et juxta illam domum de asinis descendimus, ut ibi
paululum quiesceremus. Et accensis luminibus domum ingressi
sumus ad quaerendum locum quietis, sed minime invenimus,
quia domus erat ruinosa et immunditiis ac vermis repleta,
et exeuntes ante domum nos locavimus in terram divisi per
societas. Sarraceni autem ductores nostri seorsum etiam
simul manebant supra nos altius. Porro ductoribus adhaere-
bant quidam mali juvenes nobis infesti, ut patebit. Cum ergo
collationem simul fecissemus, lumina extinximus, et capita
super sacculos nostros ponentes dormire coepimus. Interea
quidam juvenis Sarracenus occulte et furtive descendit in
tenebris in agmen peregrinorum et saccum unius peregrini,
quem putabat dormire, arripuit, et cum eo ad suos cucurrit;
post quem peregrinus ille cum suis sociis sequebatur clamans et
saccum rehabuit. Modico intervallo facto alius occulte descendit
et furatum saccum cum pane, caseo et fumigatis carnibus et
duris ovis ad suos confugit, quod ut peregrino innotuit, cla-
mare coepit et peregrinos in sui adjutorium invocavit. Ad
hoc peregrini surrexerunt, et multi cum impetu contra Sarra-
cenos cucurrerunt, et fuit factus tantus tumultus et insultus,
quod Sarraceni cum gladiis et baculis peregrinos a se repellere
coacti sunt, et lapides contra se levabant, nullus tamen ad-
huc jacere inceperat, quia, si unus lapis missus fuisset, absque
dubio periculosisimum bellum factum fuisset, quia infiniti ibi